MIRUM DECUS,
QUO
SANCTISSIMUM
MARIÆ NOMEN
EXCELLIT,
EX DEIPARÆ MIRIS VIRTUTIBUS
DERIVATUM.
ACADEMICÆ EXERCITATIONES,
Quas in Feriis Autumnalibus Anni 1721.

ILLUSTRISS., ET REVERENDISS. PRÆSULI
LAZARO PALLAVICINO
THEBARUM ARCHIEPISCOPO,
Et apud Reg. Celſit. Magn Etr. Ducis cum poteſtate
Legati de Latere NUNCIO APOSTOLICO, &c.

RETHORICÆ AUDITORES
In Collegio Florentino Scholarum Piarum
perenne obſequ animi monumentum
D. D. D.



FLORENTIÆ, Typis Antonii Marię Albizzini: ſub ſigno Solis.
Superiorum Permiſſu. 1721.

B° 17 mus 5.49.7

Digitized by Google

ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

PRÆSUL.

QUod nuper omninò mihi ſemel atq; iterùm prohibuiſti non eſt cur metuas in præſens, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præsul, neque hanc Hominum lectiſſimorum frequentiam, neq; hunc cœtum Adoleſcentum, qui te intuentur,

 tur,

tur, neque hanc indictam ſolemniter Celebritatem vereare. Securus tandem ad hæc noſtra, qualiacumque demùm ſint, Literarum experimenta, ſecurus, inquam, accedas. Scimus modeſtiæ tuæ morem gerere, & præſentes venerari potiùs ſilentio, quos adſciſcimus Mecenates, quàm eos immodicis laudibus onerare. Illud ſemper expreſsè inſtitutum probavimus aliquorum, qui non intemperanter, ut ſolet, viros principes, quibus hæc ſæpè conſueverunt inſcribi, in ore ipſorum, atque oculis laudant, aut verius dicam, miſerrimè excruciant, quod tùm accidit cùm impudenter, ac temerè præclara eorumdem domi, foriſque geſta ipſis audientibus prædicant. Nobis verò tùm magis hoc arriſit conſilium, cùm de Te penitus, ut ſileremus, de quo tam multa, tam ſumma celebrari meruerant, imperaſti. Atqui vultum ad hilaritatem, lætitiamque compone; liberamus ſupplicio mo-

deſtiam Tuam, idque eò proclivius fa-
cimus, quod qui adſunt hac nova ſigni-
ficatione non indigent, ut Te, Tuaque
penitùs ſciant. Dicturis igitur nobis de
SS. MARIÆ NOMINIS dignitate, Te
dumtaxat, cujus cauſa inſtituta eſt hæc
Academia noſtra, humaniſſimum ſibi
Propugnatorem implorat, Tuoque am-
pliſſimo Patrocinio decorari, & avidè
cupit, & ſtudioſiùs rogat. Hoc ſanè
quod petimus, quemadmodum nobis
glorioſum, mutuò etiam Tibi amplitu-
dinem parit, qui ad DEIPARÆ laudes
non ſolùm audiendas, ſed vindicandas,
promulgandaſq; feceris. Quid enim
inquies, cùm auguſtiſſimum NOMEN
non aliunde laudandum eſſe, quàm ex
ipſis Virtutibus, quibus Virgo præcel-
luit, nobis oſtendi, affirmari quidem
intelligeris? Eccum certè abſurditatem
reprehendimus, qui Nomina per ſe,
vel glorioſa, vel inhonoſta ſtatuere eſſe,
perinde ac literis atque ſyllabis hone-

 ſtas,

ſtas; & pulchritudo, & præſtantia, quæ omnia ſunt ſolida, & ſucciplena, non autem in [illegible] cupiditatibus, in pertinaci majorum induſtria imitanda, qua ſeſe ad fortia, ad ſublimia omni conatu excitarunt, continerentur. Cujus rei teſtimonium, quod umquam uberius quam Tu? Natus ex ea Familia, quæ & Literarum ſplendore, & Armorum, eo Dignitatis evecta eſt, ut ubicunq; neque in præclara, potentiſſimaq; Republica, neque in Italia univerſa, vel gloria, vel opibus, vel nobilitate concedat; omnium tamen ſermonibus celebraris, qui poſſes, niſi Te, Tuæ virtutes, atque maxime, laudatiſſimæque exornarent? At hæc jam miſſa faciamus; ſubiratus enim videris, his laudibus, quæ denique Tuæ non ſunt, ſed Tuorum, quum eas non proferri, ſed cogitari præſentis. Itaque ut eò revertamur, unde [illegible] ſumus, Academicas has Exercitationes, quas Tuo nomi-

mi-

mine fauſtè gloriari, Illuſtriſſime Præſul, perhumaniter conceſſiſti, ſingulari modo, qua ſoles etiam exigua frontis ſerenitate complectere, & Sanctiſſimi NOMINIS quanta ſit Dignitas, quæ ex maximis Auguſtæ Parentis virtutibus procreatur, libenter, ut Tua certè pietas pollicetur, accipias. Id enim erit, quemadmodum Tuæ erga nos voluntatis honorificum teſtimonium, ita noſtri erga Te officii ſi non munus, quod eſt propè nihil, ſed animum ſpectes multò majora dare cupientem, non vulgaris, neque mediocris ſignificato. Vale.

Nomine Academicorum
Joannes Gualbertus Miniati.

[illegible] gloriari, Illuſtriſſime Præ-
[illegible] ter conceſſiſti, ſingulari
[illegible] tales etiam exigua frontis
[illegible] plectere, & Sanctiſſimi
[illegible] ſit Dignitas, quæ ex
[illegible] Auguſtæ Parentis virtutibus
[illegible] denter, ut Tua certè pie-
[illegible] poſſit [illegible] recipias. Id enim erit,
[illegible] Tuæ erga nos volun-
tatis honorificum teſtimonium, ita no-
ſtri erga Te officii ſi non munus, quod
[illegible] ſed animum ſpectes mul-
to majora dare cupientem, non vulgaris,
neque mediocris ſignificatio. Vale.

Nomine Academicorum
Joannes Gualbertus Minati.

Digitized by Google

ORATIO.

SEmper ego, Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Præſul, Auditores præſtantiſſimi, in rebus pro dignitate laudandis exiſtimavi illud præcipuum eſſe, quod Oratores, ut alienum ab eloquentia, & rebus ipſis, quas decorandas ſuſcipiunt minimè conſentaneum, quàm ſedulò præcaverent, laudationis genus, quod inſolenter multæ, ſuperbè pleraque venditaret, rationemq; dicendi, quæ penitus abhorreret à veritate. Enim verò, ſi cui minus convenit, quod convenit certè nemini in rebus, vel enarrandis, vel quod optimo cuique ſemper patuit, amplificandis, & exornandis ea uti oratione, quæ mendax, quæ futilis eſſe videretur, id procul dubio virorum excellentium ſtudia, benè geſta, virtutes exquiſitiſſimis laudibus efferenti, minimè eſt; quàm maximè ineptum ſemper fuerit, quàm indecorum, honeſtiſque auribus inſuave. Inde profectò eſt, quod quum hiſce vertentibus Literarum Solemnis mihi ex veteri inſtitutione de præclariſſimo, atq; auguſtiſſimo MARIÆ NOMINE vobis hodierna luce dicendum eſſe intelligerem, illud præſtare protinùs debere me ſenſi, ne in hoc genere laudationis perdifficili, atque operoſo, ab argumenti natura, in qua ſita eſt vera dignitas bonæ, ordinatæque commendationis deflecterem, & præſi-

ſinitos ab ipſa rei conditione terminos præterirem. Quì autem poſſem commodiùs id aſſequi, vel abſolutè magis, & expeditè, quàm ut inde uſque repetens orationem eò rem totam abducerem, quò quantum decoris, & ornamenti in Divino MARIÆ NOMINE demiramur, illud herclè tantundem, non aliundè ſibi, quàm ex ipſius auguſtæ Virginis, cui inditum erat præſtantia comparaſſe dicamus? Quare ſi nobis ſanctum adeò, ſacrumque eſt, ſi è Cælo delatum ubique Terrarum, & gentium magnificè prædicatur, *totum id ſplendoris, & gloriæ, quo longè, latèque nitidiſſimè effulget, totum ſibi ex innumeris, quibus Deipara præcellebat Virtutibus, derivatum intelligamus*. Scio me cum iis Auditoribus agere, qui & rerum diſſerendarum rationem, quàm qui maximè, pervidentes in ſola veritate acquieſcunt, & inanem quamdam dicendi formam, laudandiq; conſuetudinem eo habent loco, quo qui ſapiunt, conſilio certè non pœnitendo ſemper hactenùs habuerunt. Hinc quàm ſe ſe animus colligat, quàm recaleſcat fiducia propoſitum conſequendi, quæ vel ex metu, vel ex ingenito quodam pudore diffluxerat, exinde maximè conjici poteſt, quod ego non alios, quàm Vos dumtaxat optaverim ſeveriſſimos Judices omnium, quæ proferentur.

Et ſanè, quemadmodum vitia dedecus, gloriam virtutes pariunt, ità perditorum nomina traducuntur per omnium ora, honeſtorum verò, & eorum, qui in pretio ſunt, atque honore verſantur ad Cælum,

lum uſque laudibus efferuntur. Quis enim unquam, memoriam quoad poteſt, præteritorum temporum revocando aliquem fuiſſe dicat, qui quòd egregia, & periilluſtri Nominis nuncupatione uteretur, in ſummam famæ, & æſtimationis amplitudinem dimanaverit? Secùs verò quem latet præclariſſima ſæpe ex benè geſta Republica cognomenta, ex moribus ad honeſtatem compoſitis, ex animi probitate, ex rerum magnitudine bellicarum, ex ſtudiis operoſarum artium fuiſſe viris illuſtribus parta, quę maxima cum vetuſtatis commendatione aures noſtras quotidie circumſonant? Sinite hìc, Auditores, id enim res ipſa poſtulat, ſinite me profanæ eruditionis exempla ſectari, & ex ruderibus antiquorum teſtimonia idipſum quod arguo lautiſſimè, firmiſſimèque teſtantia comparare. Quid Mucium illum Romanorum fortiſſimum Scævolam, quid Coriolanum adeò omnium ſermonibus uſurpatum Marcium veteres dictitarunt? Niſi quod ille ultor non patrati facinoris manum focis injectam perdidit, hic verò Coriolis fortiter dimicando potitus egregium ſui periculum fecit, atque oppidum ea tempeſtate præclarum adhuc pubeſcenti Reipublicæ vindicavit. Scipiadum mediusfidius! Quos quum fortè honeſtatis, amplitudiniſq; gratia nominamus, Africam, & Numantiam ipſis ferme oculis cernimus fœdis cladibus profligatas, ipſiſq; auribus triumphos audimus obſtrepi clamore militum, & tubarum ſono, quis ignorat, nomenclationem nobiliſ-

ſimę

ſimæ genti tùm commodum extitiſſe cùm eximia charitate Cornelius manu Patrem carentem oculis circumduxit, ſibique & ſuis prætereà poſteris cognomentum glorioſiſſimum peperit. Plenę ſunt gentium literæ, plena exemplorum vetuſtas, hiſtoriæ cunctæ redundant inditis à virtute nominibus, & Periclem Olympium ob vim eloquentiæ, qua fulgura propè, & tonitrua ciere videbatur, & Hermetem maximum olim Ægypti Regem Triſmegiſtum, quod primus inter Ethnicos ἐν τριάδι μίαν εἶναι ταὐτα aſſeruerit, & Prolomæum Evergetem, quod Deorum ſimulacra à Cambyſe diſiecta reſtauraverit. Romanos denique Cęſares, Macedonicos, Parthicos, Numidicos, Sarmaticos, Creticos, ceteriſque devictarum gentium triumphatis nominibus nuncupatos abundè nos Sapientum monumenta nunquàm interitura commonefaciunt.

Itaque jure optimo non aliunde gloriam, & dignitatem; quàm ex eorum ſplendore, & virtutibus, qui nominantur nominibus comparari poſſe contendimus, neque omninò reprehendendi ſumus, ſi quorumdam duximus inanes eſſe conatus, & improbandos, qui in evanido penitùs, & exucco rei ſimulacro nervoſam quærunt, ſolidamque commendationem.

Quæ quum ità ſint, Auditores, ubertimam proculdubio, quamque aſſequi minimè dicendo poſſim mihi vim eloquentiæ ſuppetere inde maximè intelligo, ex quo potiſſimum derivandam argumenti

ha-

habitudinem ſum præfatus. Quis enim non videt, quod ſi Nominum dignitas ex rerum tantummodò, quibus hęrent, dignitate deprehenditur, immenſa propemodùm futura ſit auguſtiſſimi MARIÆ NOMINIS amplitudo? Si nomina virtutibus illuſtrantur, ſi in lucem hominum honeſtis artibus vindicantur, ſi morum laude, & pudore, & ſuavitate efferuntur, ſi quanti ſint ęſtimanda ex animi dotibus penditur, queis ſacra gentibus, & graviſſima fiunt, ingenio prorſus diffidere ſum coactus, atque illud non inconſultò vereri, mihi ne potius argumentum extenuare, quàm exornare contingat. Cetera quippè, quę nobis augenda exquiſitis elocutionibus proponuntur, & naturam, quam commendare poſſis pro dignitate, & conditionem habent, quæ vim omnem, facultatemque dicendi minimè ſupervadit, nobiſque, etſi perſępè difficile, nunquam penitus impoſſibile rerum videtur propoſitum laudandarũ. At verò quùm Deiparam circumſpicimus in tanta cæleſtium bonorum luce verſantem, tot decorum ornamentis, tanta gloria, tantaque majeſtate effulgentem, quùm ſapientiam, quùm dignitatem, quùm animi virtutes omnes pręclariſſimas intuemur; quidam protinus mentem ex admiratione ſtupor infatuat, idemque nobis, quod fermè pluribus accidit, ut à ſuſcepto conſilio propter rerum immenſitatem, & magnitudinem deterreamur. Si enim ſanctitatem volueris, & inſignem morum caſtigationem extollere, qua Deiparens optima Divinum

quod-

quoddam præſetulit, & peregrinum, occurrit ſiſ licet in ipſo præconii limine proloquenti nobilitas generis, occurrit Regum potentiſſimorum cognatio, & derivata tot viris domi, foriſque præſtantiſſimis amplitudo. Si claritatem generis commendaveris continuò ſubit rerum maximarum cognitio, qua homines ipſa, quà ſuperos præſtitit, occurrit conſilium in prævidendo, in agendo pudor, firmitas in ferendo, & qua præcipuè ad ſui amorem rapiebat etiam reluctantes, etiam invitos, modeſtia, candor, ſuavitas, & indita moribus germana quædam indoles probitatis, ut hæc ſola vim omnem, facultatemque dicendi propè ſuo jure repetere videantur. Si denique decoranda ſuſcipias ornamenta naturæ, nitorem vultus, frontis ſerenitatem, oculorū decus, totius corporis habitudinem ad honeſtatem, majeſtatemque informatam, inde ſtatim avocabit omnium ſanè, quotquot in Deipara, excelluerunt, laudum maxima, Matris dignitas cum Virginitate conjuncta, cujus ſplendore tantopere premimur, & implicamur, ut quemadmodum qui aſpectu lucidiſſimi ſyderis offenduntur, lumenque ferre non poſſunt, niſi prius dubiæ, hebetiorique luci aſſueſcant, ita nos quàm inſolita claritate obruamur, in nitidiſſimo tandem gloriæ, & majeſtatis lumine caligamus.

Videte, Auditores, quàm lauto, quàm ſplendido honoris apparatu MARIÆ NOMEN exuberet, atque inde in apicem inacceſſum præſtantiſſimæ lau-

dis,

dus evadat, ut eas in Cælo capi poſſe videatur. Video quàm longè, latèque, luculentiſſimè effulgeat, acies perſtringat intuentium, mirifica quadam jucunditate ſuperfluat. Video. At hercle, latera me, dieſque deficient, ſi velim cuncta perſenſere numerando, quæ SS. NOMINI gloriam comparant ſempiternam. Niſi fecero, quod certè aſſequi nemo unquam potuit, ſpero Vos, Auditores, id eſſe propter rei magnitudinem quamdam, & inſolitam infinitatem, æqui, boniqve facturos.

At illud tacitus præterire nullo modo poſſum, quod gloriam, qui afferunt bene eſſe ſolidam, & expreſſam, famamque illuſtrem, & pervagatam multorum, & magnorum, vel in Cives, vel in Patriam, vel in omne genus hominum, meritorum rationem propemodum habuerunt, in argumento, in quo verſamur, conſulerent, ſi more, quæ ſi licet etiam conicere, quodammodò gererent. Quid enim eſt dicere, gloriam ex promeritis comparari, vel in Cives, vel in Patriam, vel in omne genus mortalium, niſi gloriam in eo ſitam eſſe, ut eam non aliundè, quàm ex virtutibus, ex honeſtate, ex animi diſciplina adipiſcamur, neq. ſtrenuè facta nominibus, ſed nomina benè geſtis condecorari? Inde Viros glorioſos, inde laudandos, inde quadam etiam Divinitate donatos eſſe, quod excellentem naturam, ſine qua profectò parùm proficimus, excoluerint, illuſtraverint, omnique ſapientiæ bono affluentem extulerint, optimus quiſque ſemper putavit.

Hic

Hìc verò quàm fusè, Auditores, lateque dicentem Deiparę in genus humanum promerita circumſiſtunt? Quàm ſaoè ingens beneficiorum multitudo cogitánti mihi obverſatur? Inductam Cęlo ſerenitatem, exactas Oceano hyemes, agros opportunis imbribus ſuperfuſos, Urbes, Imperia, ſæpiùs ab hoſtibus vindicata, reparatas fruges, ereptas ab excidio Provincias, coercita ripis flumina, ſeditiones extinctas, turbines ipſos eliſos, & id generis plurima terrà, marique pro communi hominum incolumitate patrata videor mihi penè oculis ipſis videre ſeſe magnificè prædicanda turmatim offerre. Quis autem unquam memorià poſſit deponere egregium illud, & auſpicatiſſimum factum, quo Civitas Auſtrię Princeps immenſà ſæviſſimorum hoſtium colluvione oppugnata, Sanctiſſimi MARIÆ NOMINIS recurrente Celebritate ſeſe ipſis penè vinculis expedivit, & ingenti actà cæde Barbarorum magnà cùm omnium lætitia fœliciſſime reſpiravit? Perieramus omninò, Auditores ampliſſimi, & fœda jamdudùm omnes captivitate premeremur, ni tùm Aſiam Europæ copiis innumeris imminentem, totique adeò Christiano Imperio, ferrum, flammamq; minitantem, Deipara ab Italię, in qua vivimus, ab ipſis Romanæ Urbis cervicibus præſenti ſuo Nomine depuliſſet, & immaniſſimos hoſtes memorandà clade proſtratos, ſuperatis eorum munitionibus, captis arcibus validiſſimis, fractis, profligatiſq; perduellibus obruiſſet. Quòd ſi L. Valerium, quia poſt Decem-

vi-

Google

viralem invidiam plebem in Patres concitatam legibus mitigavit, Potitum vocitarunt ; ſuppetias quis hactenus commotis Urbibus preſentior tulit quàm Virgo? Si Manlio, Capitolini ob defenſum ſtrenuè Capitolium, Naumachi Themiſtocli ob inſignem navalem Victoriam Mario conditoris Urbis ob Teutones, Cymbroſque deletos, nomen, ut viverent immortalitati factum eſſe intelleximus, nemo eſt qui non videat, nemo tametſi in literis hoſpes ; & peregrinus, qui ignoret triumphos quotquot ex teterrimis hoſtibus reportavimus, tot eſſe Deiparæ tribuendos, ut eam adjutricem in rebus afflictis, auctricem in proſperis jure merito fateamur. Longum eſſet ire per ſingula, neq; enim aut numero, aut oratione continerentur. Modus inſuper dicendo ponendus eſt; ne multus fortè vel inſolens id refricando, quod jamdiù veſtris animis inolevit, videar modò aures veſtras inani circuitu, & ſupervacaneis recordationibus onerare.

Verumtamen cùm hęc ſingula, quà ratione, quà exemplis & abundare laudibus, & excellenti gloria clareſcere non mediocriter comprobatum acceperitis, Auditores, inde etiam auguſtiſſimum MARIÆ NOMEN, ornari, & ad ſummum honoris apicem efflореſcere quàm faciſſimè intelligetis: neque enim eſt alia laus, quam quæ ex Virtutibus comparatur, „ & Nominis dignitatem, ut ait Tullius, cum à re ipſa „ deſciſcimus retinere nemini licet. Itaque & excellentiam, & amplitudinem, & nitorem, & quà præ-

ciptà cunctis gentibus celebratur, Divinam quamdam potentiam, uni Virtuti, quâ Parens optima, ſuprà ceteros mortales longiſſimè enituit præterquamquod cogitando aſſequi poſſumus MARIÆ NOMEN vel hoc titulo præclariſſimum debet. Quare quùm hujuſce Nominis ornamenta vel pulchritudinem recordabimur, etſi perſæpè Deiparæ felicitati, tamen plerùmque Virtuti congratulabimur; quoties de ipſius gloriâ, auctoritate, magnificentiâ cogitabimus, toties de ſingulari Sapientiâ, de incredibili morum probitate, de maximis Divinæ Parentis Virtutibus cogitabimus, ut deinde ſit nemo, qui tanti NOMINIS dignitatem inde manaſſe, unde Virtutis, unde Honeſtatis, unde mirificæ Sanctitatis nitor effluxit, derivatam eſſe non ſentiat.

Joſeph Giorgi Academiæ Reſolutorum Princeps

Digitized by Google

CARMEN.

Virgineum merito tranſcriptum nomen Olympo,
Dicere donatumque aſtris, flammisq; repentè
Deſuper accenſum, vitis pulcherrima quando
Supplicibus de more comas circumdata Virtus,
Tacalique humeros Pallà precincta nivali
Struxit, Achemeniis cumulans altaria donis
Ceſpitibus ſuper injectis, & thure Sabeo
Voce vocans ſuperos Cæloque, Marique potentes
Perpetuum Divæ monimentum ritè ſacravit,
Inſuetus menti furor incidit. Eſte canenti
Eſte procul Vati mendacia Numina Pindi
Cùm Phæbo, clivique biverticis, Hyppocrene
Flumine, Pierides, totoque abſiſtite luco.
Digna cano meliore tubâ, melioribus orſus
Auſpiciis opus, & plectro majora profano.
At tu adeò, cui noſtra focis libamina fumant
Debita Sacrificis numeroque carentia ſurgunt
Templa adytis; Dominamq; vocant quam Pontus, & aer,
Et Superum domus, & terrarum quicquid ubique eſt,
Immenſi Regina Orbis, quæ mira pudoris
Unica divino decoraſti lilia fœtu,
Da facilem curſum; atque animis illabere; nam tu

Argumentum ingens audacibus , ò Dea cœptis
Alma facis, tumidumque tuo de nomine circùm
Concita Mæonium fervet præcordia carmen.
Orta dies jam læta aderat, quà nulla ſerenos
Pura magis Cœlo referent lux aurea vultus
Lampade Idumæas, radiiſque retexerat arces
Virgineum teſtata jubar, quum cœca profundi
Spiramenta Erebi rupit , lucumque nigrantem
Solis inacceſſum bigis, tenebraſque, Chaoſque,
Noctemque, horrificumque ſpecus, dubiaſque ſilentùm
Terruit immiſſus fulgor nitidiſſimus umbras.
Sic trepidant, labefacta movet quùm jugera foſſor,
Lurida ſerpentùm ſinuoſa volumina, glebas
Inter & obſcuras caveæ depreſa latebras,
Immenſoſque plicant gyros, aut agmine facto
Quà data porta ruunt, dilapſaque lubrica paſſim
Per diverſa iterùm læto conduntur hyatu.
At divinus Amor, longè ut mirabile vidit
Stare opus , emicuitque inter pulcherrima Nymphas
Nymphas Iſacidas, quot habet leniſſimus unus
Jordanis ſacer amnis aquâ, de ſemine Virgo
Æthereo, genus à ſuperis, cui pallida Phœbe
Juſſa pedes ſubit, & removens contagia culpæ
Maximus ingenitæ, communem exemerat Author
Labem animæ, dederatque auras ſimplicis olli
Et ſine fæce ignem, doluit tamen illius umbra,
Quæ terrena hebetat vulgò, nigreſcere nomen,
Ceteraque immenſo niteant quùm lumine Divæ,
Ecquid, ait, ſine laude jacens ingloria fuſco

Una

Una hæc Chriſtiparæ pars mergitur horrida nimbo;
Miſceturque atrâ ferrugine? Namque profanis
Saepe datum hoc olim memini illaudata notavit
Pectora driguitque ſitu per ſaecula nomen:
Ergo illud uetat æthereis accendere flammis,
Concretam & limo formam, nebulamque nigrantem
Tergere ritè ſacris, neque enim, ſi cuncta recenti
Luce micant Phœboque nitet magis aurea Virgo,
Intempeſta decet, quę circùm plurima ſerpit
Nomen agens nubèm ęnoſę noctis imago.
Sunt procul hinc certa ſedes, ubi candida Virtus
Perpetuò ſuperis votivas imbuit aras,
Pervigilemque ignem penetralibus inclyta ſacris
Excubias Divûm æternas, & thura famillis
Suſcitat, Aſſyriàque adolet libamina cedro.
Hæc facit ut poſito paulatim pondere convexum
Aſcenſu ſuperent Heroum nomina Olympum,
Aſtrorumque choros accenſo crine decorent.
Huc mihi iter pennis: Caeli dabit illa coruſcis
Inſcribi ordinibus, latèque inſigne Puellæ
Fervere Jeſſiadæ monimentum. Haud plura loquutus
Hiſce Amor aurato volat inde per aera magnum
Remigio alarum. Nebulæ piceique recedunt
Pendentes perinane imbres, & clara repentè eſt
Viſa dies, placidas Zephyris motantibus auras.
Exciſum in ſcopulis, ubi nubifer Apenninus
Arduus attollit nimboſa cacumina frontem,
Templum immane agitur Caelo: riget undique bruma,
Undique præruptæ cautes, anguſta per umbras

 Fit

Fulminis ictus, denſa pompâ [illegible] ſemita [illegible]
Vepribus in ſublime aditu veſtigia ducit.
Flavus ibi primùm venâ de paupere rivus
Immenſâ rutturus aquâ, quàm regius alveo
Auguſtam Floræ tacitus præterfluet Urbem.
Arvus arundineâ crepitans [illegible] ab [illegible]
Delubri mordet latus. Hic veneranda reſedit
In mediâ Virtus magni teſtudine templi.
Ora nitent, fulvoque altè ſublimis. Sedentem
Circumſtant Pietas, & læta Modeſtia vultu,
Et niveâ Themis, & niveo circumdata velo
Intemerata Fides gnatæ omnes. Qualis in aureo
Fulgurat Eous flammâ nitidiſſimus Orbe,
Scintillatque adamas, quem flavâ luce coronant
Chryſolithi: aut qualis rutilanti Lucifer axe,
Quem circum glomerantur ſidera, matutinis
Luſtrat humum radiis, Cæloque clariſſimus exit,
Talis erat Virtus. Hùc demùm præpete pennâ
Magnorum emenſa liquidâ regione virorum
Æthereum per iter ſacras venerat ad arces
Multa movens Amor. Obſtupuit mirabile tectum,
Ut ſtetit, obſtupuit geminatis limina ſaxis
Ære trabes, foliiſque procul porrecta columnis
Atria. Picturam etiam ſua præmia laudis
Miratur, flexos decorant quæ fornicis arcus,
Nomina mille legens nobilium, quibus [illegible]
Implet Fama tubas, [illegible]
Quæ dum ſolicito percurrit ſingula vultu
Virtutem opperiens, portis [illegible]

Oc-

Occubuit liquido ſeriem exelata metallo
Virgineæ ſeriem laudis. Natalis in aura
Lux nitet æternuſque Sator, cùm fœta pudico
Diva ſinu parit humanâ ſub imagine Numen.
Stant circum innumeri cœleſtes ordine cœtus,
Stant vigiles ovium ductores. Gemitur inde
Stella facem ducens promiſſo crine ſuperbam,
Signantemque vias: veniunt ad ovilia reges,
Palmiferique Arabes. Bethlem agmine campos
Indique Dryopeſque implent; ſua munera cuique
Parte aliâ novis redonitus tempora vitis
Longævus, pictâque nitens in veſte Sacerdos
Apparet manibus puerum complexus; & aram,
Infantùmque procul cædes, matrùmque ululatus,
Et lacrymæ rerum. Dubiâ quoque Nilus ab urna
It tumidus. Tua te Genitrix, tua maxima cura
Hic gnati cogit properare, & vertere curſus
Declinans ſtragem infandam; quàm viens in illâ
Fronte dolor; trepidat quàm vultu pallida mater,
Dum nato metuit, natùmque ad pectora preſſat.
Hic etiam miris expreſſum cernere ſignis
Cernere erat luctum ingentem, quàm funere acerbo
Purpuream medios pendens expirat in hoſtes
Rex Superûm Deus ipſe animam. Jacet inclyta Virgo
Semianimis, longùmque dolens ſuſpiria ducit.
Electo ſimilis, ſlixæque ſimillima buxo.
Dum ſtupet [illegible] agnoſcit Olympo
Cœlitibus miſtum in fœdus, geminuſque coruſcum
Divus Amor [illegible] omnia viſa repente
carda *Et*

Et trepidare adytis. Tum verſo cardine valvæ
Spontè ſuâ reſerant auguſto limine portas;
Apparet domus intùs & atria magna pateſcunt
Strata ſolo paſſim flammas imitante pyropo,
Et ſecto ſuprà laqueare nitens Elephanto,
Araque, arcanique ignes, & regia Virtus,
Et circùm gnatæ chorus ingens. Omine fauſto,
Lætus ait, fulſitque ardens Amor impiger ore.
Diva potens animis, Cælo gratiſſima, nam tu
Diceris æternos Heroum excudere faſtos
Nominibus, Famæque decus melioris in ora
Semideûm certis diffundere legibus, & quæ
Impurum noſti titulis abradere formam,
Siquod purpureo donari ſydere nomen
Depoſitis terræ exuviis, limoque tenaci,
Virginis hoc certè meruit, nec te illius ardor,
Alma latet, pietaſque animi, & cæleſtis origo
Veſtibulum ante ipſum, radiant ubi limina valvis,
Surgit in immenſum tantæ tibi gloria nymphæ
Argumentum operis. Quid adhuc modò ſera moraris?
Quid meritò ceſſas tranſcribere nomen Olympo?
Aſtra decent. Olli ſubridens candida Virtus
Sic contrà eſt ingreſſa. Vides en ordine lauros
Thuraque fruticibus fumantia miſta Sabæis?
Hæc ara, hic tumulus, nobis qui ceſpite vivo
Aggeritur, caſiiſque, thymoque & divite nardo,
Conſpicuuſque croco, ſertiſque recentibus halat;
Hæc Sacra ſeſſiadæ; jamdudùm nota puellæ
Nobilitas, Cæli nomen donabitur aſtris;

C3 Aſtraq

Atras exuvias cinerimque informe piabit;
Ne dubita, dabitur famæ melioris in ora;
Secretum & vulgo ſuperos excudere faſtos;
Mecum erit iſte labor. Vix hæc effata potentem
Ignibus admovit dextram, ſaltuque decenti
Luſtrarunt ter ſacra agiles penetralia Divæ,
Virginis & titulos, & nomen ritè vocarunt.
In medio laurus quæ fuſis plurima ramis
Incumbens aræ majorem intenderat umbram,
Cuius erat viridi ſignatum cortice Nomen
Virgineum, tum cœpta rogo ſucceſa cremari,
Corripuitque ignem ſoliis; exibilat aura,
Et levis undanti ſtrepit humida bractea fumo,
Argutoque ſonant circùm ſtridore favillæ.
Intereà ſuper hæc celebrant incendia laudes,
Et decorant Nomen magnæ virtutis alumnæ.
Id fore Threicius olim Scythiciſque canentes
Excidio rebus, victrix quando Auſtria Medis
Iura dabit, domitumque bibet Germania Tigrim,
Et Solyma latè campos, ubi litore paſſim
Divina inſultant armenta vagantia buſto,
Servitio redimens invictis aſſeret armis.
Multa dein memorant. At poſtquam flamma quievit
Flamma ingens cecidítque ſonans fragor omnis, & æſtus,
Inſolitæ micuere faces, mirabile! & aſtrum
Continuò radiis ardens, & luce comanti,
Æthereà jubar immenſum diffundere viſum eſt
Sopitoſque ſuper cineres, tumulumque calentem
Stare micans, medioque inſcriptas nominis orbe

Purpureas fulgere notas. Sic lentus ab imà
Valle ſolet vapor, humentes quùm deſerit agros,
In ſublime rapi, limo nubecula primùm
Foeda gravi, mox cærulei tenuiſſimus aether,
Et liquidus Cæli, qui circumvolvitur aer,
Tandem ubi tabentes abiecit corpore peſtes,
Omnemque exemit, fuerat qui ponderis, imbrem,
Improviſus apex olli nitidiſſimus ardet,
Phoeboque, & ſtellis par fulgurat aureus, & vim
Ebibit à magno demiſſam lumine flammæ.
Plauſit Amor, ſtupuitque hærens MIRABILE SYDUS
EGREGIUM VIRTUTIS OPUS. *Plauſere frequentes*
Artifici gnatę feſtivo murmure Divæ.
At ſuper his Cælo rutilans affigitur aſtrum,
Nubeſque horriſonas, & fulmina præterit, & quà
Pura magis ſuperùm convexa immota renident,
Purpureum tenuit. Vulgus contraxerat Atlas
Stellarum & juſtà plùs parte reliquerat axis.
Inde regit Terras, tempeſtateſque ſerenat,
Inde fugat nimbos, & qui movet omnia Nereum
Temperat. Aſſiduis huic fumat odoribus ara,
Votaque ſervatæ ſolvunt in litore puppes.

Equ. Jo: Baptiſta Paribeni.

ECLOGA

ALPHESIBOEUS, ET TITYRUS.

Eq. Aloyſius Marzimedici. *Eq. Franciſcus Morelli.*

Alph. Phyllis & in corylis, & Phyllis in ilice! Fagus
Phyllida habet foliis, & habent hîc Phyllida lauri!
Sola vacat bicolor caelato nomine myrtus;
At non iſta reor ſine numine: numina certè
Et corylos curant, curant & numina myrtos.
O' mihi ſi Paſtor norit qui ſingula, ſe ſe
Offerat! alba cadet votum pro talibus agna
Et tibi Bacche pater, tibi Pan Deus. Aſt agè clivo
Tityrus hùc potum paſtas agit ecce capellas;
Fiſtula quin etiam. Taurus tibi ſalvus, & haedi
Tityre cumque ovibus caper.

Tit. . . . . & te ſoſpitet unà
Cum grege Paſtorum decus & fidiſſima cuſtos
Alpheſiboee, Pales.

Alph. . . . . certè mortalia curant
Numina, teque loci, pecudes, Deus, aut Deus alter
Hûc inter corylos rivo compellere adegit:
En tibi muſcoſo frondeſcit gramine rupes,
Huic ſuccede, levant ſuper his armenta nitenti
Arida fonte ſitim, vivoque in flumine captant
Spontè ſuà natas ripis declivibus umbras.

Tit.

Tit. Cede libens. Serpunt hederę, miſtique corymbis
Invitant feſſum viridi cum ceſpite acanthi.
Hic benè; nam flumen ſpeculà ſublimis ab iſtà
Et pecus aſpicio.

Alph. . . . . . . quoniam convenimus ambo,
Sit bonus, o felixque dies! tu deinde latentes
Pande precor rerum cauſas; tibi quippè latentes
Noſcere Dij dederunt cauſas, quibus alnus in oris
Praeſcia fatidicis induceat robora truncis,
Et quid quęque cavà praedicat ab ilice cornix,
Ut lupus, ut ſerpens cantando rumpitur anguis,
Unde ruant nimbi, rapidis rutilantia flammis
Horrida quid laevo portendant fulmina Cęlo.
Cuncta tenes, rerum certè nec te fugit ulla.
Errabam nuper (paucis adverte docebo)
Errabam nemori ut mos eſt mihi, porrigit umbra
Latè ubi ſe Corylis, hederęque ſequacis opacat
Frondibus humentes, Sylvę, bicoloribus, herbas;
Ad circumſtantes volvebam lumina quercus,
Mirabarque dolens ut quęque ſub arbore poma
Strata ſolo paſſim nullo cuſtode jacerent;
Ut vidi, ut ſtupui! platanum nam fortè notavi
Arbutaque, & quercus inciſo nomine truncis
Luxuriare ſuis, & Phyllida germine ab uno,
Quod non arte manus; ſed fors Natura crearat,
Fronde virere nova, & tumidis ſubrepere gemmis.
Tu quibus in terris inſcripti nomina regum
Naſcantur flores, & quo ſub ſydere creſcant,
Paſtor habes; ſunt nos quę, ſint ea germina, quęque
Nomina ſint, doceas; non hęc ſine numine Divûm
Crediderim.

Tit. Aut te ſciant ignoraſſe mirabile donum
Alpheſiboee? eadem Lycidas. Ab origine porrò
Accipe quę noſtros decorant miracula campos,

Vo-

Vota dein ſuperis, qui tam felicia reddes!
Inter Amadryades pulcherrima Nonacrinas,
Cui pater Alcimedon, mater cui flava Neæra
Nunquam foeta prius, nunquam paritura, Lycęo
Ni placitum fortaſſe Jovi, Panique fuiſſet,
Gloria Paſtorum, ſylvarum gloria Phyllis
Phyllis erat; quàm docta levi contexere hybiſco
Vimineos calathos, & pocula ſingere buxo;
Artis honos patrię. Quę purę gratia frontis!
Quive oculi! Caelo ſcintillant parciùs ignes.
Ut ceſſit ſęta ad ſuperos pulcherrima Phyllis,
Arboreis Nimphę nomen ſculpſere racemis.
Inde magis frondent coryli, feliciùs inde
Et platani creſcunt creſcunt feliciùs Alni.
Aeſculus Alcidę gratiſſima, bellica Marti
Fraxinus & Baccho vitis, ſua quercus Eleuſi,
Junipetus Phoebo Veſtę viridiſſima Pinus.
At corylos Phyllis, platanos, & Phyllis amabat,
Quod cęlebs platanus, Corylus quia flexilis arbor;
Has dū Phyllis amat platanos nec quercus Eleuſis,
Ardua nec corylos vincit Cybeleia pinus.
Alph. Tityre quanta refers! quanto ſe nomine jactat
Hoc nemus, & nemori rupes vicina virenti!
At liceat majora referre: arbuſcula quando
Nomine nulla vacat, quid amat quę litora myrtus,
Sola jacet neglecta ſuis inglorìa ramis?
Candida cur Lycio Phyllis fata Nympha Menalcà
Non eadem quę Phyllis habet fata Nympha Neęrà?
Fulmina defendit nemori fata Nympha Neęrà,
Et ſcabiem pecori lauriſque virentibus imbres.
Fulmina nulla cavet nemori fata Nympha Menalcà,
Nec ſcabiem pecori, lauriſque virentibus imbres.
Sed nemini incìſum Paſtoribus hoc quoque truncis
Ammiolas ſalices, multaſque excuderat alnos.

Tit.

Tit. Non eadem virtus, eadem ſi nomina Nymphis
Alpheſiboee? pudor ſuperis, pietaſque probatur
Numinibus, niveuſque decens in pectore candor.
Utraque quàm diſpar aequali nomine Phyllis?
Ut ſalicem ſuperat cypariſſi humileſque myricas,
Pinifer ut ſuperat colles frondoſus Olympus,
Ut mare limoſos fontes, ut candida Phoebe
Cornua quùm ceſſant, ignes pagit ore minores;
Haud ſecus, & Nymphas Phyllis ſata Nympha Nec-
Sic melior pedibus, ſic nare ſagacior Hyla, (ra,
Quam tuus his noſter cuſtos fidiſſimus Hyla:
Sic quę molle gerit niveo tibi candida tergo
Vellus ovis, noſtrà niveo quę candida tergo
Vellus habet foetu magis, & magis ubera pręſtat;
Phyllis amat platanos, platanus namq; innuba creſcit,
Et acertes nullà ſociat cùm vite racemos;
At refugit myrtos, myrtus nàm ſacra Dione.
Alph. O decus & noſter Phylli ò Regis incrementum!
Hinc lauri, hinc quercus, hinc cortice populus alba,
Alba ſuum ſervent aeternantia lilia nomen
Hinc erus ad caulas cuſtodia fida, Lupi ne
Circumeant avidi pecudes, & ovilia pardant.
Tu mihi Virgineo magalia cuncta notabis
Nomine, paſtores damnabis tu quoque votis.
At quid adhuc ceſſas? calamus tibi, fiſtula nobis,
Alternis dicamus, amant alterna puellę,
Et calamos, alternaque Phyllis amabit.
Tit. Alternis dicamus: Erit mihi carmen ab illà
Principium, veniet tibi maxquoque carmen ab illà.
Capripedes vos ò Sylveſtria numina Fauni
Sylvicolę vos ò Dryades, precibuſque Magiſtri
Rupibus & quercûs inſcribite cortice nomen.
Phyllida vos Coryli, tu Phyllida Laurus habeto.
Alph. Aura nemus, circùmque volas, [illegible] hujus
Aura pruinoſas gemmanti aſpergine ripas Si

Si qua tuo externis confuſo verba ſuſurrandi,
Nam certè redidis, nam Cloride ſaepe ſuſurrat
Sibilus ille tuus, nam Cloride murmurat unda,
Aura dein tremulo reſonet mihi Phyllida cantu
Phyllida vos Zephyri, vos dicite Phyllida fontes.

Tit. Jupiter invideat Baccheas collibus umbras;
Palmite frondator ſi Phyllida forte notabit,
Jupiter Æmonias cumulabit collibus umbras.
Phyllida vos Coryli, tu Phyllida Laurus habeto.

Alph. Alpinas hyemes culpent vel ſydera campi,
Areat & vitio moriens brevis aeris herba;
Phyllida ſi reſonent repetito nomine valles,
Nec rigidas culpare hyemes, nec ſydera campi
Nec poterit vitio moriens cadere aeris herba.
Phyllida vos Zephyri, vos dicite Phyllida fontes.

Tit. Si lupus ad caulas fremat inſidiator ovilis,
Coge canes Corydon, modò Phyllide ſepta notētur,
Inde rapax aberit lupus, & ſe ſe avius antro
Abdet inaſpecto aut in culminibus deſertis.
Phyllida vos Coryli, tu Phyllida Laurus habeto.

Alph. Verberet arua frequens lapidoſę grandinis imber,
Saeva Jovis gravidis incurſet nubibus ira;
Detonat ira Jovis, ceſſabit grandinis imber,
Et latè ſtridens audito nomine nimbus.
Phyllida vos Zephyri, vos dicite Phyllida fontes,

Tit. Quid Cereri meſſor metuat, quid vinitor uvæ?
Quùm trepido fluctus vix margine ripa coercet;
Pręcipitis ſpumoſus aquæ, ſi protinùs æſtus
Atque immane ſonans ſubſidet vortice flumen,
Quùm deſcripta pedo ſignabit Phyllis arenam.
Phyllida vos Coryli, tu Phyllida Laurus habeto.

Alph. Quid praeſaga mali cornix, quid ſibilus anguis
Terreat? & dubię Lucinę pallidus orbis?
Et mendax praeſaga mali cornicula, mendax

Si-

Sibilus, & Lunæ mendax erit aureus orbis;
Phyllida ſi geminans reſonabilis accinat Echo.
Phyllida vos Zephyri, vos dicite Phyllida fontes.

Tit. Ergo illi ad fontes, trepidans ubi pumice rivo
Rivos agit nitidos herboſo margine fletus
Sacra frequens meriti memor, & ſolemnia donâ
Ritè feram, feſtamque aram tener imbuet agnus.

Alph. Ergo illi viridi nectam de ceſpite ſertum,
Illi thura libens, illi ſua poma, roſaſque
Seponam, violaſque legens, & lilia fronti.

Tit. At ſatis Alpheſiboee, cavâ circumvolat umbrâ,
Et niger Herculeam jam deſerit Heſperus Oetam.
Coge pecus; numerumque refer; lux altera Caelo
Dum redit, & Laudes, & Phyllidis acta redibunt.

Digitized by Google

SANCTISSIMUM MARIÆ NOMEN
Infernis hoſtibus formidandum.

ASCLEPIADÆUM CUM GLYCONIO.

QUò quò Taenarios Eumenidum choros,
Et triſtes animas aggreditur ruens
Inopina micans deſuper aureo
Lux Caelo? Semel impius
Vidit Tartareis Navita manium
Immiſſa horrificis ſydera rupibus
Perguſę trepido Sicelidis lacu,
Quùm raptam illacrymabilis
Tulit Perſephonen Arbiter ad domos
Nigrantes ſine Sole, atraque portitor
Pallens deſeruit litora fluminis.
At quę lux nova Taenaron
Formidata premit? Saeva trementibus
Quid ripis trepidat bellua centiceps,
Inviſam & fugiens ſyderęam facem
Antro ſaevit inhoſpito?
Auguſtum rutilis auguror, auguror,
Aſtris purpureum nomen in ultimos
Deſcendit radiis irremeabiles
Cocyti pavidos lacus.
Ille, ille, Eumenides, ille Erebum nitor,
Ille amnem rapido fulmine perculit,
Diſiecitque cavam cęſum ſene cymbulam
Deceptę ultor originis.
Vides? vipereum barbara verticem
Ut quaſſat ſtygio Dira fremens jugo?
Ut nigrans viduum frondibus & nemus
Decuſſâ horreat arbore?
Aſt lęto rutilans ſplendeat Aethere
Nomen perpetuùm, perpetuò Charon;
Sic fractus metuet; ſic ratis horrido
Ceſſabit pigra litore.

Antonius Buonaccorſi.

Pro Caeli ſerenitate imploranda Deiparæ Nomen jure gentibus ſacrum.

ALCAICUM.

Quid pertinaci, dic age Tibia,
Caligat aer nube? Quid imbribus
Vexant inæquales procellæ
Deciduam Cererem? Ruinâ
Perculſus eheu! iam dolet in iugis
Paſtor relictis, levaque quercubus
Audita cornicis retractat
Omina, funereumque carmen.
Auditis? Infrenata tumentibus
Dejecta ripis flumina verberant
Malè auſpicatas luctuoſis
Verticibus, ſonituque meſſes.
Inverſa lucent ſydera, nec ſuos
Novere curſus; Arctica Syrio
Inſultat aeſtu Parrhaſis, quæ
Miſcet agens hyemes aquoſas.
Proſtrata camporum irriguis iacet
Spes prima ſulcis. Quod ſuperi ſcelus
Admiſit orbis? Nec ſereno
Ulla dies rutilabit aſtro?
At tu efficaci Diva potens prece
Mater repulſæ neſcia ſordidæ,
Fractis opem fer alma rebus,
Sit lacrymis modus; & ſeveros
Compone vultus. Dic age, dic Parens
Nato, ſat eſt, ſat; procul fulmina
Sanguis meus. Vox una Virgo
Tot poterit reparare clades.
Nomen tonanti ſcilicet ut potens
Auditum Olympo, protinus & furor
Igneſque, caſureque dextra
Deficient ſine cæde flammæ.

Petrus Uguccioni.

Gratiarum actio.

MEns erat Aoniâ contexere fronde coronam
Fronde, ſuas cingit quâ Pater ipſe comas,

Quùm medius ſedet & citharâ pręſignis & arcu
Inter Pierias, quas pręit arte, deas.

Hęc capiti ſteterat merito dare munera veſtro,
Sic Phœbo Divæ, quùm cecinere, ſavent.

Abnuit aſt rutilo tranſcriptum nomen Olympo
Virginis, hæc meritis nàm magis apta dabit.

Eq. Bartholomæus Compagnini.

FINIS.

SS 340/80